



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Duodecima Septembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9477

probatus esset, vigesimus secundus factus est Tullensis ecclesiæ episcopus, & inter cætera bonitatis studia, construxit sanctimonialium monasterium, quod vsque hodie dicitur sancti Bodonis, & aliud duodecim Canonicorum ad fluvium *Murt*, & tertium in honorem sancti Leodegarij in Ofonis villa. Consummato autem præsentis sæculi labore, sepultus est in cœmeterio beati Mansueti.

Et hæc breuiter sunt hoc in loco commemorata, propter natale eius solum, quanquam nesciam in qua parte Arduennæ sit natus.

Duodecima Septembris.

De sancto Guidone, in Anderlaco.

Ex historia, tomo quinto Surijecta.

ANderlaci, depositio sancti GUIDONIS confessoris, qui post septennem & laboriosam peregrinationem, hunc locum suæ quietis elegit. Vbi sui sacri corporis reliquiæ sub frequentia miraculorum frequentantur.

Hic in pago Brabantensi, tugurio rusticano & paupere domo natus, oculis parentum furabatur in primæua ætate certas horas, quibus ecclesiam oraturus adiret. Nec hilarem eum vlla dies videbat, nisi prius aut orasset, aut elemosynam protulisset. Ecclesiæ B. Mariæ in *Laken*, multis annis seruiuit, velut alter Nepotianus, eam floribus & ramis exornans, omnia in nitore conseruans, atque in omnes cæremonias piè sollicitus. Postea per septem annos peregrinatus est Romanam, Ierosolymanam, & ad alia sanctorum loca. Vnde Anderlacum reuersus, peste inguinaria, sæculi ærumnas consummauit, sepultus in cœmete-

rio,

*Hierony.
Heterodoro
epistolæ 23.*

rio, anno millesimo centesimo duodecimo. Sed Deo sanctum suum per crebra miracula mirificante, Gerardus episcopus, successor Lietberti, eum eleuauit in natiuitate Baptistæ: & ex confluentium oblationibus, noua basilica super eius tumulum est sumtuosè ædificata: in qua Canoniorum octodecim celebre collegium, à domino Gaesbecano dotatum & institutum, diuina officia reuerenter peragit. Locus dicitur Anderlacum & à recentioribus Anderlechtum, Bruxellensibus, apud quos indigenæ iure ciuium gaudent, vicinus. Pingitur vt opilio, bubulcus, & arator. Habet enim in manu pedum: ad pedes oues, boues, & instrumentum triangulum ligneis dentibus distinctum, quo semina aruo iniecta obruuntur, quod quidam dentale, alij pectinem: Belgæ, *een egghe* vocant. Lakenfis ecclesia ad aquæductum Bruxellensè, addit ei in maius clauis suæ ecclesiæ, eo quod in ea custos, velut alter Neptianus, Deo seruiert.

Decima tertia Septembris.

1^o. De S. Amato episcopo apud Duacenos.

Ex libris Duaci, & Marcenæ.

B Royli, depositio S. AMATI episcopi & confes. Cuius virtutem Saluator omnium pius, magnificauit in temporali vita suorum gratia meritorum. Fuit episcopus^a Senonensis, sed apud Theodoricum regem de infidelitate accusatus, per eius execrabiles iussus in exilium est ablegatus, causa non discussa. Quamobrem Peronæ exulauit vsque ad mortem Vltani abbatis:

Sigbertus

anno 672.

In catalogo

Democharis

est 22.

Bb 3

deinde